



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ludovici Richeomi Societatis Ies. Valedictio Animæ Deuotæ

Richeome, Louis

Coloniæ, 1610

Liberalitas Dei in victu, vestitu aliisque vitæ subsidijs homini conferendis.
Colloq. LXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50753)

*Liberalitas Dei in victu, vestitu, alijs-
que vitæ subsidijs homini conse-
rendis.*

COLLOQUIVM LXII.

NVNC quod ad cætera subsi- THEO.
dia ac corporis adiumenta *Homo*
attinet, videamus amabo *felix in*
quomodo ijs homo affluat, quibus si- *excogi-*
bi victum comparare vitamq; pro- *tandis*
rogare multò quàm commodissimè *medijs*
potest: ac quemadmodum opera *vita sus-*
manuum & intellectus omnibus in *stentan-*
hoc quidem genere animantibus di- *da.*
tior locupletiorque sit. Certè com-
munis ille Deus & totius vniuersi-
tatis Pater familias exigua admodum
frusta, angusta habitacula, & amictum
vix vnum alterumve bestijs assigna-
uit, homini contra vniuersa Bellua-
rum aliq; herbis victitant, aliq; carne,
aliq; frumento, atque si quæ etiam
sunt quibus multiplex cibus est, ijs
tu admodum limitatum eum esse
agnoscas; at homini quidquid libet
apponitur, omnia habet, promif-
cuetque vniuersa accepit. An verò
vllum animal in aere, terra, aquave
S vitam

vitam degit: an vlla creatura in toto hoc orbe inuenitur, quam homo nõ in culinam suam cogat atque compellat? Quis verò etiam iam potuũ genera enarraturus est, quos ille in rerum natura reperit, cum contra bestia nonnisi aqua ad sitim restinguendam vtantur? PHIL. Vero id quidem ipso verius admodum est, at neque minus & illud, ita pleraque mortalium haberi paucos vt omninò reperias qui eis rectè vti velint, innumeros qui quam sapissimè ijs abutantur. TH. Neq; verò ego etiam illud inficiari ausim, at facit tamen ad propositum nostrum, vt præclare cognoscamus quam abundè homini omnia suppetat, quibus vita sustentatur; & quã immeritò quiritentur ij qui inermem eũ omnibusque præsidijs destitutum in lucem nasci asseuerant. Nunc quoniam de cibo satis diximus, de vestimento etiã paucis videamus: habent ergo aues pro amictu plumas, terrestria & aquatilia pelles ac squamas, homo aut vniuersa. Quis. n. non animalia tantũ & herbas, sed metalla etiam in pannos
sindo-

findonesq; conuertit, quo ijs vestia-
 tur, si homo id non facit? annon illi
 oues, vermes, aurum & argētum te-
 xitur, quò ornamenta, quò vestimē-
 ta sibi conuenientia reperiatur? ecquis
 Deum immortalem luxū illius hac
 in parte, quis insignem copiam ab-
 undantiamque declarabit? Canis
 in quamcunque partem dormiturus
 se coniecerit, nunquā nō stragulam
 suam inuenit, & quoties surgens au-
 res agitatur corpusque versat, toties
 calceatur, vestitur, & lectum suum
 sternit, & tamen vbi pransurus, vbi
 cenaturus, quid obsonaturus sit co-
 gitatur & præmeditatur. Verū homo
 (Deus bone) quid non facit, aut quid
 demum non facere potest, quo vitā,
 vestimenta stratumque suum lucre-
 tur? ecquando vnquam ratio otia-
 tur, maus feriatur, merces nō con-
 quirit, victualia nō inuenit, & noua
 quotidie corporis adiumenta ex-
 plorat? Non ergo id magnam omni-

Arist. 8.

Phys. c. 2.

l. 1. hist. 1.

an. c. 5.

nō admirationem concitare in ani-
 mis nostris debet, cum ab omni Sa-
 pientum ætate microcosmum eum
 appellari audim⁹, etsi meliore planè
 iure

iure macrocosmus nuncupāus videatur, vtpote qui omnia claudat, omnia contineat, omnia complectatur. PHIL. At heus tu, recenter ego memini, fuisse cū diceres nullam bestiam adeò exiguam esse, imo ne plantam quidem reperiri, quæ non melius quouis homine vestita sit: allegebasq; tunc sententiam Seruatoris nostri, qui lōgè splendidius cultiusq; lilium vnum amiciri ornariq; dixit, quam vel ipse Salomon in Throno suo sedens. THEO. Probè id quidem ego recordor, etsi omnino nihil à me dictum fuerit huic quod proposito nostro aduerfetur, eam enim viam tunc insistebamus, vt stuporem & inutilem superuacaneamque vestimentorum pompam ac luxum demonstrarem, in præsentiarum autem illud agimus, vt vincamus admodum eum à naturæ necessarijs instructum esse, & omnibus bestijs plantisque plura sortitū. Neque enim quidquā impedit, vt bestia vel plāta vestitu suo naturali melius homine ratione amictō induta non sit, etsi eadem varietate copiaq; nō pol-

polleat: imò addo etiã Adamũ elegantius ornatiusq̃ue fuisse vestitum quando in statu innocentiaẽ constitutus nullius indumẽti indigus erat, quam quando exterius pelle coopertus fuit, eũdemq̃; etiam Adamũ dico hac sua ouina pelle itã indutũ, & D. Ioannẽ spolio cameli vestitũ, sanctumq̃; Antõnium frondeo suo cinctu velatũ, omnibus Regũ põpis fuisse cultiores, quippè cũ ea nihil aliud sint, quam signa immanium laborum, insanarum profusionum, excrementa terræ, frustula huius vniuersi, testes ambitionis & necessitatis. Iam eadem omninò quæ super alimentis vestituq̃ue differuimus, de alijs quoque humanæ vitæ subsidijs præclare dici posse videntur: nã si habitationem spectes, cuius tu bestiaẽ spelæum, cuius auis nidũ, cuius piscis latibulũ cum artificijs, splendore ac luxu domorum, palatiorũ, ciuitatum & habitationum à manu *Primoriũ* magno illo rationis *Factotum* pro- *hominũ* fectarum comparare audebis? Pri- *domus.* mi namque mortalium, qui mundi *Taber-* huius possessionem acceperunt, in *nacula.*

subterraneis cauernis vitam duxerunt, mox cum in ipsa terra tentoria ex ramis conopeorum instar erexissent, ausi sunt denique in aere etiam ac aqua domos extruere, & habitationes superbissimas sibi ædificare. Verum quanto, bone Deus, splendore, quanto luxu, quanta magnificentia? quis non admiratur, quis non obstupescit, cum de ciuitate Niniue referri audit, trium dierum iter fuisse vnus portæ ad alteram spatium? quis autem id credat, quis non vanum commentitiumque arbitretur, nisi S. Propheta suis id verbis testis omnino locupletissimus confirmaret? Quis non attonitus nostra hæc replete inclytam Venetoarum ciuitatem, & urbem Timistitanam, in medio immotam mari intuetur oculisque pererrat? reuera si pisces sensu illo communi ac ratione predicti essent, quã tu egrè eos laturos fore putas. quã indignaturos, quã stomachaturos, dũ regnũ suum ita occupari & imperium à generis sui inimicis inuadi cõspicatur? Admiramur alcyonem, quod sola inter aues nidum

Ionas 3.

4.

*Plur. de
Ani. in-
dustra.*

dū suū in mari edificet; q̄ nullis mal-
 leis, nullis instrumētis, nullis operis
 adhibitis, q̄ rostro, instar nauiculæ
 illū extruat, vt quædam pullorū suo-
 rū cunæ sint, quas barbarū & vastū
 mare deijcere nō potest aut absor-
 bere; itaq; iuxta mirabili opere soli-
 datæ, vt nec ferrum eas frāgat, & ad-
 eò quaquauerfum clausæ & obtura-
 tæ, nihil vt aliud quā artificē intro-
 mittant, ac ne vnicam quidem aquæ
 guttā recipiant? quis non huius aui-
 culæ (nam) pascere maior nō est? sin-
 gularē industriā admiretur, quis nō
 solertiā suspiciat, ingenium obstu-
 pescat? at quanti hæc sunt, quā exi-
 gua, quā ferè nulla, si cum ædificijs,
 cū domibus, cū ciuitatibus denique
 hominū illa compararis, si cū nau-
 bus composueris, quæ ex orbe vno
 in alium delatæ, per vndas, ventos
 aeremque rapiuntur? Atq; si Aegy-
 ptijs etiam miraculum fuit pensiles
 semyramidis hortos intueri, quid ij
 dicerent, quid cogitarent, si nostra
 hæc ætate viridaria, si cāpos, si amq; In histo-
 niissima prata in immanibus Indorū ria Indi-
 nauibus, quæ admodū præclarè id tu ca.

Lact. l. 3.
 c. 24.

In histo-
 ria Indi-
 ca.

factitari nosti, imposita per aerem
ferri, loco suo moueri, vagari deni-
que & circūcurfitare intelligerent?
quis non obstupescat admirandam
hanc intellectus humani in inueni-
endo industriam, manuū in agendo
dexteritatem considerans? quis non
insignem Creatoris liberalitatem
collaudet, qui cū parcè admodum
in reliquas animantes dona sua di-
stribuisset, in vnum hominem om-
nia congeffit, & excellenti planè
prodigalitate in vnico suæ imaginis
manuumque dono, totius Vniuersi
hæreditatem illi & vsum pariter re-
liquit? Narrant de Abrahamo sacræ
literæ quod domesticos suos diuer-
sis muneribus affecerit, filio autem
hæreditatem tradiderit: idem nos à
benigno illo rerum omnium condi-
tore factitatum fuisse videmus, qui
cū vnicuique animali quantū ad
sui sustentationem satis esse vide-
batur indulfisset, homini quæ singu-
la singulis dederat, donauit vniuer-
sa, & tandem ipsum Filium suum v-
nigenitum pro eo fuit elargitus. Cō-
sidera mihi nunc itaque sis quā ini-
quæ

Gen. 27.
30.

qua hæc querela fit, quam crassa ig- *Iniqua*
norantia, detestabilis ingratitude *hominū*
filiorum Adæ, qui contra benignum *querela.*
istum & liberalem Dominum mur-
murantes, eum vt avarum, vt parcū,
vt tenacem accusant, cum potius in-
signis illius bonitas honorāda & ad-
oranda nobis sit, quo illius munifi-
centia cōgnita, eorum improbitatē
ac corruptum deprauatumque inge-
niū detestemur, qui donis illius gra-
tiusq; præ omnibus mūdi animalib⁹
sibi cōcessis miserrimè abutuntur.

*Cur homo nudus & indignus mundum
hunc ingrediatur.*

COLLOQVIVM LXIII.

NAE tu verò mihi præclare ad- **PHIL.**
modum ostendis, nequaquā
naturam aut etiam Deumi-
psum accusandum esse, sed potius
hominem degenerem, non modò
propter insignem ingritudinem
qua Conditoris sui beneficia sepe-
lit & obliuiscitur, sed etiā propter
milleuarium donorum sibi collato-
rum abusum: & quoniam adeò de-
xtrè & peritè omnia te isthæc enu-
S 5 clea-